

i nummariam crumenam reliqui,
nus mea longius nimis hinc sita,
revi repetam. Commodes ne igitur
as decem?

me miserum! mihi non sunt; pos-
ibi eas aliunde comparare.
nicorum optime, qui igitur?
obolum tibi dono, quo locum in
urru omnibus pervio assequaris,
omum redeas ad oblitam crume-
tidam.

* * *

Aenigmata

I

psallit, permultos *corpore* damnat;
ternis; psallere *bina* parant.

II

oculos, aures animamque negavit,
est caeco duxque reduxque viae.
ata in superiore fasciculo propo-
ponent: 1] *Echo*; 2] *Aula*.
IOSFOR.

MA SACRA

ngregatione S. Officii.
manifestationibus spiriticis».

quam licet per *Medium*, ut vocant,
dio, adhibito vel non hypnotismo,
aut manifestationibus spiritisticis
ue adsistere, etiam speciem hone-
tatis praesenterentibus, sive inter-
imas aut spiritus, sive audiendo
ve tantum aspicio, etiam cum
e tacita vel expressa nullam cum
ritibus partem se habere velle. (Ex
XXIV mens. Apr. MCMXVII: vulg.
CMXVII).

JOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

• • •
Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:


Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcana Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frostione, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro anno 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; *c)* parsimoniae fovendae sub specie, anno fructu 3.60%, cum facultate quotidie deferrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollentium subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argenteria res publice agatur; *b)* mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exteriarum gentium maxima aguntur; *e)* exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.



CONSTANTINI PISONI

Pontifícia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCLIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candelae ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgica fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diurnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



Ann. IV.

A

LA

Pretium annuae

march. 10;

FORNARI d

BENED

PA

Dum exe
quod rabidi
post hominu
historia vidi
coeunt Marte
frequentius
gladiatorio a
nes comparan
dera confirma
exinaniant, a
denique nova
supra armoru
fragorem, qu
complet, ab al
tollitur, eiusq
appime mana
omnium Parer
in terris gere
populis omnib
neque suadet
cuiusque vac
rum amore pe
tiae iura exer

L. 75.000.000

proprios aedibus
(Marcello)

ras civitates:

Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montepolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona Velletri, Viareggio, Viterbo.

ES ET NEGOTIA.

ine accipit: a) iuxta quotidianas acultate quotidie exigendi usque erum quatuor, lib. 50.000; pro imputationibus pariter quotidianis, in sex; 4 $\frac{1}{2}$ %, si mensium duos %, cum facultate quotidie defere. De maiore vero summa mantem usque ad lib. 5000; ad dies

ones compensat duarum personarum solvendas; idque pro omnibus in ad formam, iuxta italicam legem via requirentibus subvenit; c) in praesidio fundorum publicorum, tae; d) litteras emitit ex credito maxima aguntur; e) exterios numeri in custodiam accipit, pro iisque mariae sunt.

INI PISONI andelarum ad Sacra

N. MDCCCLIII

argenteis aliisque honoris
us insignita

127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

ices, tum exquisitis ornamentis,
iuxtaque praescripta liturgica
re unicae, ideoque

IABETUR.

R.



Ann. IV.

Romae, Idibus Septembribus MCMXVII

Fasc. IX.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;
march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

BENEDICTUS PP. XV PACIS AUCTOR

Dum exeunte anno tertio illius belli, quod rabidum magis ac lethiferum, post hominum memoriam, nunquam historia vidit, exercitus undique collati coeunt Martemque fatigant, ducesque frequentius inter sese convenientes, gladiatorio animo nulli cessuri, rationes comparant, societas feriunt, foederant confirmant quibus hostem penitus exinaniant, ad incitas redigant; furor denique nova in dies arma ministrat; supra armorum strepitus ingentemque fragorem, qui universi orbis aethera compleat, ab alma hac Roma vox iterum tollitur, eiusque sonus, quasi a caelis apprime manans, ubique redditur. Est omnium Parentis vox, qui, Christi vices in terris gerens, Christianam pacem populis omnibus repetit, redintegrat; neque suadet modo, sed studio partis cuiusque vacuus, uno omnium filiorum amore percitus, supremaque iustitiae iura exercens, quae ex animo suo

terrenis curis immuni unus cognoscere valet, canones aliquot bellantium civitatum moderatoribus disceptandos communi consensu proponit, quippe qui aequae durabilisque pacis iam caput videantur, quique ex ipsa disceptatione signantur distinguantur, aptisque rationibus compleantur.

* *

Initio igitur - ait - hoc est rei omni constituendum fulcimen, ut armorum viribus iuris virtus sufficiatur; ac proinde recta fiat inter omnes voluntas uno tempore ac mutuo arma immuniendi iuxta certas normas certasque cautiones, modoque necessario atque sufficienti adhibito, ne singularum civitatum publicus ordo permisceatur. Armorum locum institutio illa « internationalis arbitratus » suscipiat, cui supremum, ex certis legibus mutuo pariter figendis, demandetur officium tum dissidia quaelibet inter populos dirimendi, tum poenas sanciendi in nationem illam, quae sive sua cum aliis nationibus discrimina arbitrorum tribunali permitti recusaverit, sive ad

eorum sententiam sese non patiatur adduci.

Iuris imperio sic firmato, obstaculum quodvis auferatur quominus populi per veram libertatis communionem maris vias ad commercia exercere valeant; quae quidem cautela tum conflictationis causas plures adimet, tum omnibus secundarum rerum latices novos et progressus aperiet.

Quod attinet ad belli damna atque impensas, generatim dici posse videtur ea vicissim esse remittenda; cui quidem mutuae condonationi faciant satis immensa deponendorum armorum beneficia. Ecquis autem tantam caudem concipiatur causis mere oeconomicis produci licere? Quod si peculiares refectionis rationes intercedant, hae iustitia et aequitate perpendantur.

Atvero huiusmodi pacifcae conventiones fieri haud poterunt, neque maxima illa commoda haberi, quae inde consequentur, absque mutua regionum ab alterutra parte nunc occupatarum restitutione. Germani itaque e Belgica omnino secedant, Belgarumque nationi certa testimonia praestentur, ipsam coram quovis statu tum in civili, tum in militari, tum in oeconomica re sui iuris iterum futuram; abscedant pariter a Gallicis terris; iis ex adverso coloniae omnes, hostiliter a suo imperio abstractae, reddantur.

Quae de territoriis quaestiones agitantur, quales, exempli gratia, inter Italos Austriacosque, Germanos inter et Gallos sunt, sperare iuvat fore ut eae a contendentibus partibus, ratione habita ingentissimarum commoditatum, quae a diurna pace cum armorum depositione erunt profecturae, conci-

lanti animo excutiantur, ex aequo et quoad fieri possit populorum studia computando, suamque, si necesse fuerit, componendo utilitatem cum communi et universo humani generis quaestu.

Qui quidem ad aequitatem et iustitiam pronus animus ceterarum etiam questionum omnium examen modetur, quae de territorio deque civili re populis designanda intercesserint, maximeque circa Armeniorum gentem, Balcanicam regionem, civitatemque quondam Polonici regni participem, cuius nobiles historicae traditiones latique, praesertim in hoc bello, cruciatus, peculiarem nationum benevolentiam iure meritoque sibi addicere debent.

* *

Super huiusmodi fundamentis divinae Interpres sapientiae in christianam animam effusae, summos populorum rectores invitat ut, suam quisque operam bona voluntate conferens, stabile aereque perennius ad salutem omnium gentium pacis exstruant aedificium. Mirabile equidem spectaculum, etiamsi quorundam hominum furentibus simultibus, quae naturam perverterunt, nihil praeter spectaculum Pontificia haec actio apparuerit! Verum enimvero est novum Benedicti XV documentum altius repetendum. Nonne enim solemniter strenueque palam inde confirmatur et pacificum Christianae Ecclesiae in terris munus, Summique Pontificis integritas animi, per quam praeter partium studium in sublime sese erigere Ei licet? Nonne paternae etiam singularique sollicitudini pietatique

celsum per ipsum fastigium impunitur, quibus divini nunc pastor ovilis funestos irarum ignes per annos tres temperare ac restinguere indesinenter studuit? Inde fit, ut qui tot malis cuiusvis nationis cives urgentur, redditaeque pacis beneficia obtestantur, in illud tamquam in dominicum missum lumina animosque fidenter intendant, eiusque verba tamquam semina merito considerent, quae, maturius seriusve, magno foenore redditurus sit ager.

Historia autem Benedicti PP. XV haec gesta inter amplissimos Romani Pontificatus honores indubie referet. Quod felix omnibus, bonum faustumque siet!

ROMANUS.

Redibitne latinus sermo cultis gentibus universus?

II.

Clarissimo viro JOSEPHO FORNARI, Almae Romae Moderatori, IOANNES BAPTISTA FRANCESIA s. p. d.

Nonnulli fortasse quum acceperint quid in animo concupisti quidque ego sum maximis votis prosecutus, de latino sermone scilicet fusius propagando, veluti nimis alta petentes incusabunt, dicentes *magnum opus omnino et arduum conari*. Sed hisce Ciceronis verbis *de Oratore* scripturi illa adiungo, quae ipse animose addere est ausus: *at non difficile amanti puto*.

Hisce positis, ad rem nostram festinato gradu, comiterque redeam.

Quum adhuc aetas valeret, et vitam pueris erudiendis feliciter in litteris latini tradendis transigerem, identidem uti acceperam a Thoma Vallaurio, atque hilari

modo, latine romanos scriptores enucleabam. Et ipsi discipuli tum novitate rei adlecti, tum acriori studio in latinas litteras abrepti, maxima animis voluptate me loquentem prosequebantur. Ego autem devixa iam aetate, rem illam mente suaviter repetens, mira pectoris dulcedine, et meos iterum adolescentes adstantes conspicio eorumque numero atque adspectu mirifice delector. Res autem neque ardua erat, neque impossibilis.

In medium hoc meum exemplum referre volui, illorum fortassis difficultates refutans, qui me praeoccupantes rem nimis altam crederent atque adeo impossibilem. Ut vero a facilimis exordiar, hoc in primis faciendum esse opinor, quum Itali malum noverint iter carpere impraesentiarum, ut ad antiquam studiorum consuetudinem alacri spiritu redeant. Atque adeo «dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas» maiori cura atque alacritate mentem in litteris latinis fatigare non abstineant.

Et quo facilius intentum conquerire possimus, nonne est maxime optandum, ut quiescentibus proxime rebus, vir ille cui universa de litteris auctoritas erit demandata, publice disponat ut una potissimum scientia in scholis gymnasii colatur eademque acriori omnium instantia? Quod enim malum est atque omnino lamentabile puerorum ingenio, si ad plurima uno eodemque tempore ipsi se convertere nitantur!

Haud ita multo ante, omnes fere Itali in universis undique dissitis regionibus, Romani erant in communi litterarum studio atque in penitiori cultu praesertim latini sermonis. Tunc enim animo auspicandi difficillimis reipublicae temporibus, nos Itali gloriose illud Ennii poëtae factu agitabamus:

Nos sumu' Romani qui fuvimus, ante Rudini.

Subalpini, Insubres, Veneti, aliique Italiæ cives *unius erant labii* populi, nam-

que omnes vel a teneris unguiculis Romanorum linguam colebant. Ut paulo ante post Napoleonem in religionis odium antiqua romana lingua a scholis fuerat expulsa, sic restitutis in pristinum rebus, quum animi civium ad meliorem frugem se se conferrent, reges nostri, vetus Augustae domus nomen renovantes, restincto ubique bellorum incendio, nihil antiquius habuerunt quam hoc studiorum regimen iterum instaurare. Hilari enim vultu regalique incessu inter nos Romana lingua redit.

Ad rem enim faciunt quae in vulgus edidit Iosephus Demaistre, qui acerrimo ingenio catholicam professionem a calumniantibus vindicavit atque ut eius iura sacra tecta servarentur mirifice certavit. Quum primum in Europa eae res agitantur, quae omnium ferme imperiorum quietem perturbarunt, motus et seditiones in Gallia potissimum, miserrima omnia ominabantur. Qui quum nihil sacri inviolatum credissent, atrocem animum tulerunt et in linguam latinam. Et quum apud Italos, malum pravumque Gallorum ingenium secuti sunt qui Cisalpinorum rem publicam regerent, illico mortale exitium in latinum sermonem intulerunt, quum postularent ut eum e scholis expellerent. Et actum erat de latina lingua vel ab illis temporibus, nisi paeclarata Hugonis Foscoli virtus obstisset, qui celebri illo carmine Romae inscripto:

Te nutrice alle Muse...

Italorum animos mirum in modum ab iniqua sententia retinuit.

Utinam Itali bona sua optime noverint, atque studiorum huiuscmodi nedum autores essent, sed et maxime fautores!

Nostra autem vox inaudita esset, quae in deserto late ac perperam inania clamitaret, nisi praesto nobis esset auxilio, re atque consilio, qui rem litterariam in Italia administrat. Ipsum enim universum Italorum studiorum consilium hac in re auctori-

tatem habet et, data occasione, ut pro re nata hoc nostrum propositum in vulgus efferat.

Hoc in primis sapientiorum hominum esset, opinor, quibus gratius est a pluribus sua opera perlegi, atque ab iis qui intelligentis iudicii viri in singulis nationibus laudantur. In praesenti, si quis partiam sibi nominis celebritate etiamsi remotus a populari iactatione, ingenio ac studiis insignis, plurimisque editis operibus vix et raro extra civitatis pomoerium advehitur.

Haud sum equidem nescius, clarissimum nostrorum opera ab exterorum manus, si per elegantiam celebrantur, admund teri et maximis laudibus efferri. Namque et apud exteris gentes Dantis Ali- gherii carmina, admirabili ingenii voluntate, leguntur, et Tassi Torquati poema passim cum Vergilio componitur, et ultima quaeque Italorum volumina perleguntur; sed rari sunt omnino, et nonnisi improbo labore, qui cum studio penitioris naturae exterarum linguarum cognitionem addere cogitant.

Qui rerum cultus hominumque in literis profectus, si tempus, quod in aliis unice linguis arripiendis esset tibi adhibendum, totum in disciplinarum studio atque ornamento insumeres! Et haec ipsa facilis, imo haec generalis disciplinarum communicatio, ingenium magis magisque acueret atque inter doctorum coetus aemulationis igniculos excitaret.

Et ipsa rerum commercia facilis confinia sua proferrent, si latino sermone mercatores uterentur. Italorum esset virtus ac maxima cura, ut exteri antiquam romanorum linguam noscitarent. Quae gloria, si nobis repetere vel per sermonem licet, quod olim Tibullus de Romae magnitudine cecinit:

Roma, tuum nomen terris fatale regendis!...

Haud fatalem adpellarem hanc meam institutionem, vitalem potius omnibusque perutilem.

Rem prope impossibilem, hisce praesertim temporibus, me fortassis propo- suisse crederem, si Italorum conditionem considero eorumque in orbe cum ceteris populis auctoritatem compono.

Sed si inciperent sapientiores rem hanc nostram actitare, discutere, eamque sub diversis aspectibus cernere... quid dicam? « Id voluisse satis? ». Haud equidem ita existimo, neque rem perditam inanemque pertractasse putavero, atque oro et obtestor ut etiam atque etiam hac de re sermonem disseras; atque mens mihi tempus praesagit quo aptius ac commodius ita rem Itali accommodare praesumant atque ad actum traducant. Quod felix maxime tempus civibus meis auspicatus cum ipsis gratulabundus teque, o suavissimum caput, laetissimus dicam:

*Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.*

Vale, meique memento.

MUSICAES ARTIS ORIGO ATQUE VICISSITUDINES¹

Romani Imperii tempore, nova musicae forma enascebatur, eaque ex catacumbarum obscuritate, in quibus Christiani orabant et « cantabant ». Concentus vocum erant, absque dubio ex canticis hebraicis, graecis et latinis orti, sed proprium exhibentes typum, propriamque adumbrantes imaginem in animo designatam novorum, eorumque sordibus maculisque humanae voluptatis omnino carentium affectuum. Initio igitur Christiana musica homophona fuit et vocalis; Silvester I, Pontifex maximus, cantorum scholam instituit; Ambrosius autem, Mediolanensis episcopus, ecclesiarum cantui certas

¹ Cfr. fasc. mens. Maii, pag. 87 et sqq.

normas constituit. Quantum flevit Mediolani Augustinus, hymnis et cantis sonantis Ecclesiae suaviter commotus!¹

Saeculo p. C. vi exeunte, Gregorius PP. I, qui « monumenta Patrum renovavit et auxit » in musicam quoque intendens, ecclesiasticos cantus in unum collegit, quosdam ipse compo- suit, vulgavitque *Antiphonarium*; quod opus musicae sacrae inde semper exstitit fundamentum. Praeterea « scholam cantorum » ubique promovit, misitque quaqua versus per orbem peritiores Romanae scholae discipulos ut ad eius normam cantum diffunderent, qui, ab ipso pontifice nomine accepto, velut lapis positus est artem antiquam atque ethnamic ab arte nova et christiana disiungens.

De harmonia, forsitan antiquis non omnino ignota, certe loquitur Isidorus, « modulationem vocis et concordantiam plurimorum sonorum et coaptantiam » eam definiens:² saeculo autem ix Uc- baldus musices « vocem principalem » (melodiam) ab « organo, diaphonia, voce organali » (harmonia) divisit. Studio igitur musicae proficiebant; deerat tamen qui ea complecteretur certisque normis figeret. Hoc opus feliciter assumpsit atque perfecit monachus quidam ex Pomposae monasterio Ordinis S. Benedicti, Guidus scilicet Aretinus († MXLVII), qui *sex notarum scalam* proposuit, musicae notitiam atque lectionem perfacilem reddidit, atque ita musicam rationem redintegravit et extendit, ut etiam nunc in se vigeat, ipseque iure meritoque musicae instaurator fuerit renunciatus.

Itaque musica ars in dies facilis profecit. Saeculo XII et XIII, Franconis e Colonia studio, harmonia solidatur,

¹ Conf., lib. IX, 6.

² De Originibus.

dictaque est « discantus », h. e. aliquot diversorum cantuum consonantia; in qua illi diversi cantus per vocem longas et breves et semibreves ex proportione adaequantur, et in scripto per debitas figuras ad invicem proportionati designantur. Discantus, « musica figurata vel mensuralis », a Marchetto Patavino et Ioanne de Muris magnum incrementum accepit.

Sed tamen xiv et xv saeculo « theoria musicalis » subtilibus et inextricabilibus quaestionibus involuta, in suo itinere morata est, visaque apud Belgicam scholam se recipere, quae procul dubio tum primatum obtinuit, donec « musicorum princeps » in Italia apparuit, Ioannes Petrus Sante, ex natali oppido Praenestino, ubi ortum duxit anno MDXXVI, *Palestrina* vulgo appellatus, et universo orbi huiusmodi cognomine cognitus; qui, ut eximius maximeque purus inter musicae sacrae auctores recensetur, ita polyphoniae vocalis rex merito celebratur.

Iamvero a saeculo ix, dum musica « classica » inter templi parietes continetur, liberior et profana musica animum vulgi exagitat. Postea *scholae minorum* inducuntur, vulgo *Minestrane*; ac *Minnesänger*, *Ménestriers*, *Meistersänger*, *Menestrelli*, *Trouvères*, *Troubadours*, *Trovatori*, musici nempe errabundi, saeculo præsertim XIII, in Germania, Gallia, Italia effecerunt, ut musica profana ad artis dignitatem accederet, et, ne cogitantes quidem, theatrum lyricum initiaverint. Res paulatim eo progressa est, ut saeculo XV musica spectacula publice exhiberentur, et exeunte saeculo XVI, schola huius generis florentina in arte theatri communem laudem promeruerit. Verum Claudio Monteverdi, cremonensis musicus dramaticus, prouti tunc ferebant tempora, peritissimus, musicam artem

in theatro primus ingeniose pervulgavit atque ita evexit, ut exinde musica dramatica apud cultiores Europæ civitates saeculi XVII et XVIII plus minusve manaverit atque invaluerit. Saeculo denique XIX musica, tum ex instrumentis, tum ex voce, sublimitatis apicem consequuta est.

Christi ecclesia, prout ei licuit, ut ex profanis argumentis averteret, vel in christianum morem componeret musicam semper contendit. Itaque et drama quoddam religiosum invexit, quod *Mysterium* vocatum est. Sacrae huiusmodi representationes, iamdiu in usu, saeculo XVI amplum incrementum receperunt; ex quo scilicet Philippus Nerius, sanctissimus ille et acerrimi ingenii vir, Ioanni Animuccia, musices magistro, commisit ut *Laudes spirituales* componeret. Ex ipsis laudibus drama musicum sacrum enatum est, quod iam ab anno MDCXLV *Oratorii* nomen accepit. Quamquam primum huius musici generis exemplum habetur « Repraesentatio animae et corporis », cuius auctor exstitit Aemilius Cavaliere, vita functus saeculo ipso decimo septimo ineunte.

Oratorium post specimina clarissima usque ad Germanicum Bach († MDCCCL) edita, sensim defecerat; at nostris diebus novo confirmatum est vigore opera Laurentii Perosi, sacerdotis vix quatuor supra quadraginta hodie annos agentis.

Auctore denique Pio sa. me. PP. X, et musica liturgica, quae influxum profanae artis theatrorum nimis subierat, ad eos canones revocata est, quos Graegorius statuerat, nosque speramus fore ut christiani musices magistri adamassim sectentur, quo facilius per hanc sacri Numinis ancillam, fidelium animos ad caelestia perducant, attollant.

Neapoli.

G. LEPORE.

Utrum primis Ecclesiae saeculis fas fuerit christiano viro militiae nomen dare.¹

III.

Probatam itaque habemus licitatem bellum, dummodo fuerit iustum, ut supra diximus; nam vidimus neque iure naturae, neque iure divino-positivo bellare prohibatum. « Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si quae similia, haec sunt quae in bellis culpantur ». ² Quin immo, si, iuxta charitatis christiana normam, bellum geratur, bono consulitur civilis societas « ... ac per hoc si terrena ista res publica praecepta christiana custodiat, et ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis iustitiaeque pacatam societatem victimis facilius consulatur... Misericorditer, si fieri posset, etiam bella gererentur a bonis, ut licentiosis cupiditatibus domitis, haec via perderentur, quae iusto imperio vel extirpari, vel premi debuerunt ». ³

Igitur dubium nullum manere potest quod christiano viro fas sit militiae nomen dare, seu militiam agere, si bellum, quod per milites geritur, licitum est. At nolumus ista indirecta quodammodo probatione pro thesi nostra contenti, lectores dimittere. Habemus enim, ex Sacris Litteris Novi Testamenti, quae proprius nostram probant thesim; et haec placet nos hic producere.

Notum est responsum de tributo solvendo Caesari, ab Iesu Christo datum, quod et Ipsem solvit pro se et pro Pe-

¹ Cfr. fasc. sup.

² S. AUGUST., *De Civ. Dei*, lib. XXII.

³ S. AUGUST., *Epist. CXXXVIII*, n. 13.

tro.⁴ Item et S. Apostolus Paulus⁵ mandavit tributa solvere. Ast tributa ad arma paranda et stipendia militibus suppeditandæ exigebantur. Tacitus enim scribit (Lib. IV, *Histor.*, cap. LXXIV): « Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt... ». Et S. Augustinus (Lib. XXII, *Contra Faust.*, cap. LXXIV); « Ad hoc tributa praestantur, ut propter bella necessario militi stipendum prebeatur ». Ergo militiam agere non improbavit neque Magister, neque Apostolus.

Adde, Iesum Christum laudasse centurionem, ad se venientem, eumque vocantem ut sanaret servum suum.⁶ At non laudaret, si militiam agere malum esset. Item post per celebrem Principis Apostolorum visionem,⁷ centurio Italicae cohortis cum suis ab eo baptismum receperunt, neque iussit Petrus centurionem post baptismum militiam dimittere, ut illicitam christianis artem. Quod neque S. Paulus imperavit tribuno carceri custodi, postquam e carcere eductus, eum et socios eius baptizavit.⁸ Nonne Doctor gentium, qui nullam docendi alios occasionem sibi intercidere patiebatur, hos docuisse quam grave esset peccatum militare? Quod si non fecit, dicendum approbasse et docuisse silentio suo, militibus, etiam suscepto baptismo, milites manere licere.

Luculenter ad rem nostram loquitur textus Evangelii S. Lucae (Cap. III, 14). Praecursor Domini S. Ioannes praedicabat

¹ MATTH., XVII, 25; XXII, 21.

² Epist ad Rom, XIII, 6-7.

³ MATTH., VIII, 10; VII, 9.

⁴ Act., X, 2, 22.

⁵ Act., XVI, 33. Artes christianis prohibitas memorat TERTULLIANUS (*De idololatr.*, cap. V): « Ad Ecclesiam non admittuntur qui artes exercent, quas Dei disciplina non recipit ». Et S. AUGUST. (*De Fide et operib.*, cap. XVIII, n. 33): « Meretrices et histriones, et quilibet alii publicae turpitudinis professores, nisi solutis aut disruptis talibus vinculis, ad Christi Sacra-menta non permittuntur accedere ».

et dabat accendentibus ad se baptismum poenitentiae. Et interrogabant eum quid facere debuissent ut salutem consequi possent aeternam. « Interrogabant autem eum et milites, dicentes: « Quid faciemus et nos? ». Et ait illis: « Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: et contenti estote stipendiis vestris ». Notandum quod Baptista non iussit illos militiam deserere. At placet referre commentarium Corn. a Lapide in h. I. « MILITES. Militantes partim sub Herode Antipa contra Aretam Regem Arابum; partim sub Praefecto templi, partim sub Pilato Praeside Romano, hi audientes Ioannem detonantem in vita, eisque gehennam minitantem, consciit sibi rapinarum aliorumque scelerum, quae milites committere solent, voce Ioannis compuncti, aequa ac publicani [vers. praeced.], ab eo poscunt remedium poenitentiae, vitae honestae et salutis: quibus tria assignat Ioannes tribus militum vitiis opposita, quorum primum est violentia, secundum calumnia, tertium rapina. Violentiam excludit Ioannes dicens: *Neminem concutiatis*, id est nemini vim inferatis. Calumniam excludit dicens: *Neque calumniam facitis*, id est, ne sitis sycophantae, ut innoxii impingatis crimen aliquod, accusando eos quod sint fautores hostium, inimici, insidiatores, ut eos expolietis, vel eorum bona invadatis. Vetat ergo *ne ab eis calumniando praedam requirant*, quibus militando prodesse debuerant, ait Beda. Rapinam excludit dicens: *Contenti estote stipendiis vestris...* Tacite ergo insinuat Ioannes; positis hisce tribus conditionibus, licere militare, et bellum esse licitum, ut docet S. Ambrosius *Serm. 7* et S. Augustinus, lib. XXII *contra Faust.*, c. LXXI. Merito igitur, concludit hic S. Doctor (*Epist. CXXXV*). « ... Nam si christiana disciplina bella culparet, hoc potius *militibus* consilium salutis potentibus in Evangelio diceretur, ut abiicerent arma, seque omnino militiae subtraherent ». Et ecce

palam effecta doctrina Evangelii super licetate militiam exercendi, seu quod *fas fuerit Christiano viro militiae nomen dare*, iam ab exordio Ecclesiae Christi.¹
(*Ad proximum numerum*).

JOSEPHUS FAMELI.

¹ Cfr. S. AMBROS., lib. I, *De Offic.*, cap. XXVII; S. BONAVENT., lib. IV, *Sent.*, Par. I, *Dub. circa litt. Magistri*, Dub. XV.

Ad Hirundinem profecturam

*Tu, cuius nidus de nostro pendet, hirundo,
Tecto, his a primo vere morata locis,
Nunc cum squalet ager, cum terrae cedere coepit
Arbor, dimissis frondibus, exuvias,
Hinc migrare paras, hiemis namque imminet horror,
Atque petenda tibi nunc magis apta loca.
Cetera iam comitum discessit turba tuarum:
Te piget his laetus forsitan abire plagis.
Auster sic parcat, parcat tibi saeva procella,
Ne mersa in vasto gurgite tu pereas.
Ad Libyaee postquam sospes perveneris oras,
Quam moesta occurrent hic monumenta tibi.
Ossibus heu! libycas albore videbis arenas:
Fortis ibi pubes itala iam perit.
Ut tu paulisper requiescas, ossa salutes,
Et miseros places vocibus hisce precor:
« Salvete, o fortis iuvenes: vos abstulit atrum
Lethum, cum rident omnia picta rosis.
Vestrorum nemo supremis adfuit horis
Vobis, nec clausit lumina moesta parens.
Spirans natale solum quisque occidit alnum,
Et nunc reliquias non sua terra tenet.
At vos ne pigate quod luce orbaverit atrox
Fatum: mors, iuvenes, vestra decora fuit.
Testis vestra fuit virtus a gente latina
Vos ortos: laudes emicuere pares.
Quas urbes pacis florentes artibus olim
Insano feritas perdidit imperio,
Itala barbariae virtus nunc rursus admetit:
Felix rursus erit quod modo triste solum est.
Quisquis pro patria moritur, non interit omnis:
Eius nomen erit tempus in omne sacrum.*

*Ingens Italiae per vos iam gloria crevit,
Et tenet haud humilem patria vestra locum ».
Tu sed adhuc Libyam conspergi sanguine nostro
Ne memora, atque novas fata parare vices.
Totam permiscent Europam immania bella:
Omnes arma parant, armaque suscipiunt.
Innumeræ gentes utrinque moventur in arma;
Hoc neque pugnandi iam fuit ante genus.
Nec tu vere novas tot frondes fundere silvam,
Nec terras flores tot decorare vides.
Haud satis est dire terra pugnare marique:
Fit pugna in caelo, fit quoque subter aquas.
Quo fugias igitur? Tuttus telluris in ima
Forsan ne ipsa quidem viscera confugeres.
Non nix, non glacies, non rupti e nubibus imbris,
Bellantes aries nil prohibere potest.
Interdum aëriae naves sublime feruntur;
Ignivomas aeras nocte dieve pilas
Demittunt, quae plura ciunt incendia, plures
Evertunt aedes, funera multa movent.
Naves hostiles urgent, quarum ictibus illae
In mare vel duram præcipitantur humum.
Aequoris aera viis haud visa tonantis naves
Illidunt: fractas aequoris ima vorant.
Mittitur haud raro nubes lethalis in hostem:
Exundat lacrimis miles inersque manet.
Quisnam quam fuerint haec dixerit effera bella?
Hosti quae noceant omnia sunt licita.
Non auster fluctus cum summa ad sidera tollit,
Et quassas naves coniicit in scopulos;
Non fulmen turres annosa et robora scindens;
Non flumen strepitans cum per aperta ruit,
Militis exaequant rabiem caecumque furorem,
Omnia complentis cladibus, exitis.
Non sexu imbelli, aetati non parcitur ulli;
In lapides ipsos ira inimica furit.
Ecquibus eximiis monumentis parcitur arte?
Attulit haec quondam⁸ Vandalus excidia,
Quem plaga produxit borealis Vandalus ille,
Ut ferro atque igni perderet Italiam.
Quisque a se belli culpam omnem avertit in hostem:
Se nil perpetua pace cupisse magis;
Nil horrere magis quam bella et funera; totis
Pro pace enīsum viribus esse suis.
Audeat aetas damnare Europa vetustas,
Et comes mores concelebrare suos.
Quid valuit iurata fides, quid pacta Batavis
Omnibus in magnis foedera conciliis?
Nobis turpis erat delenda iniuria nostra,
Et reliqua Italiae pars relevanda iugo.*

*Italia, o utinam tandem post fata resurgat,
Et quae iam tenuit regia sceptra gerat!
Pax utinam terris alas protendat amicas!
Hoc est in votis, si fera fata sinant...
Sed prius huc rediens me frustra forsan, hirundo,
Tu quaeres lustrans haec tibi nota loca;
Nam spes atque metus et vitae taedia longa
(Tarda senecta premit) forsan exuero.*

RAPHAEL CASTELLI.

HYGIENICAE NOTAE

De alimentis, quae e frugibus conficiuntur.

Est hīc, ubi vitam dego, vir quidam, sanus ceteroquin et vegetus, qui, diu mala usus valetudine, quantus est totus virentibus tantummodo vescitur. « Hac modo ratione, - ipse ait, - complures ae-grotantes ab antiqua improbaque malorum serie facillime vindicavi, et mirum in modum, praeter omnium opinionem, ad sanitatem reduxi ». Haud pane utitur, neque pulmento cuiusvis generis sit, sed pomis omnino vivit, vel simpliciter inter flamas decoctis, vel in aqua. Unus domi hac vivendi ratione utitur, sibique cuncta parvo equidem pretio victui necessaria consultit. Novi insuper nonnullos, qui, valetudinis bonae desiderio rapti, ut huius vivendi normam sequerentur, diu multumque domi apud eum manserunt. Meis equidem oculis vidi penitusque perspexi magna eius instituti miracula, quoniam quotquot mordicus animoque fidenti eius placitis adhaeserunt, nullo prorsus opere, valetudinem optimam sunt adepti, eiusque artem asseruerunt.

Quotquot vero hanc vivendi rationem amplectuntur, recenti vocabulo appellantur *vegetariani*. Ego vero rem sub iudice relinquo. Namque haud de-

sunt qui maximo errore insimulant quotquot unis virentibus leguminibus que vellet homines vesci. Mente enim prae ceteris illud Vergilii volant:

Despice
Lactum siliqua quassante legumen,
Aut tenues fetus viae tristesque lupini.

Vivere utique potes, aiunt, absque carne, at nunquam sine leguminibus. Legumina fruticesque terrae natura sua acritudinem illam humoris ac plenitatem auferunt, quae passim a carnis alimentis profiscuntur. Legumina insuper atque virentia alvi duritiae obluctantur; et si eorum quoque vim nutrientem rite adspexeris, in omnibus potissimum optimis alimentis legumina arida ponere haud dubitaveris.

Errant propterea toto caelo qui dicunt omnino carnem necessariam esse ut bene vivas, et illis praesertim qui in assiduum graveque opus incumbunt, quique, ut ita dicam, «nova per duros instruunt membra labores». Multarum regionum experientia docet, omni procul dubio, homines vivere sanos posse vegetosque, propemodum sine carne, adhibitis omnino leguminibus cum pane et malis. Caro autem haud necessaria habetur, neque viribus inservit; iis potissimum noxia, qui vitam agunt sedentariam; huiusce namque generis vitae viris aptiora aestimantur legumina, quam carnea alimenta.

Quid de pane dicam? Quid de eius mensura apud unamquamque nationem? Alios aliam rationem diversam sequi plerumque legimus. Quam verisimilam protulit sententiam qui subridens scripsit: *Ubi uber, ibi tuber...* Quid quod? De re olim tam facili omnibusque clarissima, nunc quot inanes sermones, quot sesquipedalia atque inutilia verba! Est qui panem puriorem optimumque iudicat album; at est qui

cineraceum prae ceteris praedicit omnibusque commendat... Sic itur «per varios casus per tot discrimina rerum»! *Ne quid nimis!* Haec est omnium pulcherrima sententia. Quum enim primum homines curiosius de alimentis pro valetudine disserere coeperunt, alii in aliam sententiam omnimode diversam abidere. Ab uno pravo consilio abeuntes alacres in alterum, ab ista in alteram immodestiam progressi, eo tandem pervenerunt, ut nihil iam securi comedere audeant... «Sive quod inventis miser abstinet et timet uti». Felix aetas illa, qua quisque olera et lenticulam fabamque insumens, super omnes late populos auratos ac splendide nutritos imperium intulit! Et Christianis primaevae aetatis mos erat, ut parvo contenti essent, modico pane et aqua; hisce in solitudine victantes ad ultimam senectutem pervenerunt. Hominibus autem temporis nostri quot sibi curae, quot consilia prudentiae ne in vitium procumbant! Quot ingerant consilia, quot pericula super capite tuo uti enses destrictos, pendeant, accipe. Ex eorum enim consilio, a iusculo cave: cum carne enim in corpus toxicum introgreditur, quia nimis ita *azoti* reliquis te ingurgitabis... Legumina simul relinque: namque nos plus aequo debilitant atque stomachum nimis extundunt. Quid addam? A lacte est tibi abstinentum; phthisim enim infert, et nos aqua replet, atque adipem producit... Et quoque a butyro, quod quum se se coagulat, accipit et densat omnes lactis foeditates... Quin imo? Ab ipso pane, qui sanguinem nimis fermentat, quia omnia farinaria pravum in modum te ad pinguedinem rapiunt... Placet tibi vinum? Est tibi servus qui «prodit fumoso condita vita cado»? Eheu! fuge: hoc enim urit stomachum tibi,

venenoque paullisper te perimit. Sed ab aqua etiam tibi est fugiendum; namque ipsa suis innumeris microbis te corrumpere poterit tibique typhi febrim inferre...

Tu vero, lector, haec vera delirantium somnia deridens, ab improbis hisce iudiciis cachinno dignissimis caveto. Optimum erit, saeviente potissimum pestilentia, aquam decoquere: eadem ratione carnem commode, et si vis ad tertias coquere; idemque lac, et in utrumque oculum felicissime quiesce. Sume secure iuris poculum, tenuis suaviterque spirantis, et frustum vitelli aptissime assi, bonique demum vini craterem: haec enim nemini prorsus nocuerunt. Comede igitur, sed moderate atque ad sobrietatem, cibos iure habitos innoxios... Cave tantummodo, et hoc imprimis tene, ne quid imprudens sumas, neve crudum... Coctum nil nocet. Si panis, frumentum vinumque veneno nos tanto gradu imbuunt, memento, ob horum modicum usum, multo minus vitam nostram imminui, quam si tu timore actus curisque malum in modum cibos insumas. Uno verbo, neque granum neque vinum, aliaque id genus, sensim sine sensu vitam hominum obterunt, sed uno modo harum rerum immoderatio. Horum omnium usus sobrietate igitur sit ac ratione temperatus, et procul sit omnis humana voluptas.

FR. ANACESI.

.....

Noti imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam; ipsi se curare non possunt. Sed potius quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subiice, atque apud animum propone.

CICERO, *Famil.*, IV.

Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere.

SENECA, *Epist.* XLIII.

VETERA ET NOVA

De navibus
in profundo mari navigantibus.¹

III.

Mersennus, de quo in superioribus fasciculis abunde loquuti sumus, tanto pectore subaqueae navis consilium complexus est, ut ad argumentum redierit in *Harmoniae lib.* IV, vol. I; ubi, praeter alia, rationem novam eiusdem cum aqua ponderis navem ipsam efficiendi exposuit; quam tamen pro altera, quae plus minusve etiam nunc adhibetur, haudquaquam assumptam deinceps vidimus. At iuvat eius verba adamus: sim referre.

«Quum multa - inquit - de nave immersa natante dicta fuerint, iamque sit in usu fenestra navium, quas *pontones* appellant, in fundo navis, per quam sordes in altum mare solent eiici, duplicibus illis fundis vel dolis, de quibus loco citato, minime opus est, quum tot fenestrae in immersae navis fundo, seu tot foramina fieri possint, quod ad omne sordium genus eiiciendum vel ad homines extra navem mittendos, aut pisces et alia quaepiam in eam admittenda necessaria fuerint. Sed et fumus ignium et candelarum variis artificiis per illa foramina poterit in mari dispelli, haustrisque etiam aqua dulcis, in fundo maris occurrens, in navem trahetur. Quum autem navis haec instar cursus facile circumduci possit, quandoquidem fundum maris satis aequabili et durum est, praeter remos adiuvantes, pluribus contis e navi in mari impulsis, et armatis harpagonibus inieictis ac in solo defixis, deinde avulsiis atque refixis, illa semper promovetur. Quos quidem contos molendina satis instructa movere poterunt, idque

¹ Cfr. fasc. VII, pag. 139 et seqq.

maris ipsius aqua, vel alio quovis modo. Mitto cetera, ut moneam egregium urinatorem Ioannem Burriem ex urbe Pertusio tribus leucis ab Aquis Sextiis distante oriundum, artem invenisse, qua facile in fundo quolibet maris per sex aut plures horas respirare, ambulare, naves immergas extrahere, et quidquam aliud praestare valeat; quibus laternam candelae lumen, quandiu libuerit conservantem adit, quae diversis usibus adhibeatur, verbi gratia pescationi quorumlibet piscium. Quodque mireris plurimum, ubi noveris decem quidem pedes cubicos aëris ad respirationem ceteris urinatoribus ad dimidiad horam sufficere; ille uno dumtaxat vel altero pede cubico ad sex horarum respirationem utitur, et laterna vulgarium magnitudinem vix superante ad flammam sub aquis perpetuo conservandam».

Atvero Mersenni cogitata veluti aegri somnia habita sunt. De iis enim scribens Gaspar Schottus,¹ postquam adnotavit vix aut ne vix quidem ab ullo homine fieri posse, ut navis cum omnibus quae complectitur eiusdem cum aqua ponderis efficiatur, ut in quovis sub aqua loco maneat, concludit Mersenni navem viris doctis adeo impossibilem, ideo ridiculam visam esse, ut dubitari posset utrum vir «alioquin doctissimus» serius loqueretur. «Certe - ait - Romae ea navis non alio quam phantasticæ navis nomine audit, et ego ibidem aliquoties in congressu virorum doctorum audivi, quum rem aliquam ingeniose quidem excogitatam, at factu difficilim aut impossibilem vellent significare, eos dicere, esse instar navis Mersenni». Et alibi²: «Vides, lector, quam mira ac portentosa hic Auctor et quanta praevidentia sibi promittat de nave sua submarina. Audierat vel legerat, naviculam a

Cornelio Drebello in Anglia constructam, quae sub aquis depressa natabat..., putabatque, si verum est quod de Drebelli narratur, eumdem successum habituram quantumvis magnam navem: quae si construeretur et mari committi ab ipso Merseno deberet, vereor ne responderet, quod Rhodiensibus respondit Callias architectus, de quo Vitruvius in peroratione et calce operis sui de architettura... Non enim - inquietabat - omnia eisdem rationibus agi possunt, sed sunt aliqua quae exemplaribus non magnis, similiter magna facta habent effectus: alia autem exemplaria non possunt habere, sed per se constituuntur. Nonnulla vero sunt, quae in exemplaribus videntur verisimilia; quum autem crescere coeperunt, dilabentur. Ita videlicet responderet Mersennus, parvam naviculam infra aquas librari, huc illuc pro lubito impelli aërem et alia intromitti atque amitti, flamمام in ea nutriti, aliaque multa perfici circa eam posse, circa maiorem navem non posse».

Quid autem de Drebelli navi, quam et Mersennus et Schottus, uti superius vidi mus, memoraverunt? De ea insuper quae sequuntur iste scripsit;¹ nec plura apud alium auctorem mihi reperire hucusque datum est: «Cornelius Drebellius, ingeniosus Belga, inter alia multa ingeniosissima, naviculam in Anglia construxisse dicitur, quae sub aquis natabat. Occasionem ad id excogitandum refert Dn. Georgius Harsdorfferus in *Deliciis Mathem.*, tom. I, part. XIII, quaest. VIII, ubi ait se a quodam Drebelli amico, viro fide dignissimo, intellexisse, quum dictus Drebellius die quadam prope litus Tamesis, Angliae fluvii, ambularet, videretque nautas aliquos in dicto fluvio navigantes trahere naviculis suis alligatas perforatas cistas piscibus repletas, quae naviculas nonnihil intra aquas deprimebant, et dum solvebantur,

¹ *Technica curiosa, sive Mirabilia artis* (Herbipoli, MDCLIV), lib. VI, c. VIII.

² *Magia universalis*, lib. V, syntagm. II, prop. V.

¹ *Mirabilia*, etc., loc. cit.

eaedem naviculae nonnihil ex aquis demergent, eum in hanc venisse cogitationem, ut crederet eiusmodi cistarum ope posse navim ita infra aquam fluminis demergi, in eaque librari, ut remis et contis propelli posset. Addit Harsdorfferus duas eiusmodi naviculas diversae magnitudinis, undique clausas et corio pinguefacto constructas in Anglia, in earumque una ipsum Angliae regem in Tamesi navigasse. Eumdem regem earum unam Magno Moscoviae Duci dono misisse, velut rem raram et antea invisam».

Fuitne Drebelli haec navis, quemadmodum nonnulli tradiderunt, eadem ac Roterodamensis illa, cuius fama circa diuidium saeculum XVII longe lateque manavit? Haud equidem puto ex huiusmodi Schotti notitiis; quinimo ad illos submarinae navigationis conatus referendam esse censeo qui, Henrico VIII rege, Londini in Tamesi flumine facti sunt; Roterodamensis autem navis auctorem ex Gallia repetendum, quamquam nomine ignoto. De ea Schottus ipse mentionem fecit in *Magiae universalis* loc. cit.; in *Mirabilium Mechanicorum* autem, c. VIII, eius schema, seu formam exhibuit, quum tamen principia quibus artificium inniteretur minime expromeret, quae ex simplicibus illis figurae lineis ne deduci quidem possunt.

«Schema hoc - scribit - quum Romae essem, missum fuit e Belgio ad P. Athanasium Kircherum. Auctor eius est Gallus quidam ingeniosus, qui anno MDCLIII navim construxit Roderodami in Hollandia sumptibus suis propriis. Locutus sum cum diversis, qui navim constructam viderunt, pretio etiam soluto: neminem enim auctor ad spectandum admittebat nisi certum premium solveret. Ea promittebat Auctor se velle destruere die uno centum naves hostiles, quum interim sua neque ab igne, neque a tormentis bellicis, neque a ventis ac tempestatibus, neque ab ullis sinistris casibus quidquam pateretur, nisi id Deus peculiari modo permitteret. Et licet naves hostiles intra portum conclusae ac probe custoditae forent, spondebat tamen eas a sua non fore securas, seque nihilominus sine impedimento cum ea accessurum. Licit etiam prodione quadam in hostium manus deveniret (aliter enim quam prodione, impossibile iudicabat ut interciperetur), a nemine tamen praeterquam a se solo, et qui a se modum didicisset, eam dirigi posse, ideoque hosti prorsus inutili futuram. Unde merito fulmen maris eam dici posse asserebat. Tantam praeterea eius velocitatem futuram dicebat in mari, quanta vix avis ullius in aere: adeo ut intra diem unum ex Hollandia in Galliam navigari: intra sex vero hebdomadas in Orientalem Indiam penetrari posset». Prosequitur Schottus, se ingenti desiderio incensum de navis eventu bono aut malo aliquid certius experiendi, in Germaniam rediisse, Herbipolim, indeque notitias certiores de navi quaesivisse. Intellexisse «dictam navim nunquam fuisse mari commissam, utpote ab omnibus inutilem ad promissos effectus consequendos aestimatam. Venit paulo post, quum hic essem, navis Auctor huc ad Eum nostrum Principem et electorem,¹ eique suam operam in rebus machinariis obtulit. Et quum de variis machinamentis a se inventis magnifice se dilaudasset, nihil de navi sua dixit, utpote qua exiguum sibi laudem acquisiverat (?). Afferuit autem inter alia construxisse se tubospicillum, quo lunam non solum cavernosam atque montuosam, ut alii, sed alicubi prorsum pertusam ac perviam deprehendisset, adeo ut per patentia foramina caelum ipsum ac stellas perspexisset. Risit

¹ Hoc munere tum fungebatur Ioannes Philippus S. Sedis Moguntinae Archiepiscopus, S. R. Imperii per Germ. Archi-Cancellarius et Princeps Elector, Episcopus Herbipolensis ac Wormatiensis, Franciae Orientalis Dux».

Princeps sagacissimus hominis iactantiam iussitque collegium nostrum accederet ut cum viris doctis de inventionibus suis tam egregiis conferret, at deprehensum se animadvertis, neque ad nos venit, neque ad Eñum Electorem redit ».

Fuitne machinator ille Gallicus fallax nebulo, an subtilis ingenii vir? Si inventi sui, piraticas quasdam nostri temporis actiones praedicentis, quem habuit honorem respecto, alteri huic opinioni propius accedo, quum Schotto eiusque tubospicilli descriptioni haud libenter me credam, qui satis superque mente commotus, quum de alienis operibus scribit, facile appetat.

I. F.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.¹

Tecum colloquenti ne adeo adpropinques, ut in eius os halitum inspires.

Nihil dicendum agendumve, quo colloquentes parum diligere parvique pendere videamus. Quare urbanum non valde existimo dormire, ubi legentes disserentesque adsunt, nam eorum sermones parvi facere videamus. Ad haec incommodo dormientes aliquid audentibus aspicientibusque ingratum agere consueverunt.

Ubi sedentes colloquuntur, qui se erigit et per cubiculum deambulat, est ceteris taedio.

Sunt etiam qui adeo se agitant, torquent, oscitant, modo in hanc, modo in illam partem se versantes, ut febri correpti apparent; quo apertissime colloquentium ipsos taedere ostendunt.

Cave, ne terga aliis obvertas, sed rectus incede, neque ullis incumbas aut innitaris. Colloquentes haud sunt fodicandi, uti com-

plures identidem dicentes: « Nonne vera sum loquutus?... Videsne?... ».

Cuiusque vestitus statum aetatemque sequatur; aliter qui se gerit, populum contemnere videtur.

Atque aliorum prorsus mos est sequendus et consuetudines mutandae, etiamsi novae minus quam priscae commodum venustatemque re vel specie praeseferant. Vests curandum ut concinnae sint gestanti. Qui laute vestiuntur simulque inconcinne, ut non ipsis confectae videantur vestes, produnt vel nihili se pendere gratiam invidiamque civium, vel elegantiam atque decus ignorare.

Sunt etiam qui ulterius eo insolentiae perveniant, ut nullomodo ferri possint, quippe ceteris intempestivi, importuni et incommodi. Hi nunquam parati, nunquam concinnati. Ceteris iam discubentibus: « Nimis – aiunt – intempestive; paullum morae »; omnesque irretitos tenent, aliorum securi, suique tantum curiosi. Praeterea meliori semper quam ceteri in conditione versari student, et commodioribus lectis cubiculisque uti, et honestioribus locis sedere, primosque discubere et comedere: nec quidquam ipsis, nisi antea statuerint, probatur.

Alii vero adeo sunt morosi, difficiles et rudes, ut nulla in re morem illis gerere possumus; qui omnia dicta superbe accipiunt atque perpetuis conviciis garritibusque famulos afficiunt. Quae omnia, quippe indecentia sunt fugienda; nam licet quis superbiae nescius haec non animi, sed consuetudinis vitio pecaret, tamen in superbiae notam hominumque offensam incideret.

Homines non quo valeant pretio, sed velut nummi, quo vulgo habeantur, aestimandi. Nihil igitur coram illis faciendum, quorum gratiam affectamus, quod dominum potius quam amicum arguat; imo omnia nostra reverentiae significationem in colloquentes praeferant. Quare nonnulla, tempestive peracta, non improbanda; pro loci et hominum ratione improbantur, quale est famulos conviciari aut garrire, eoque peius percutere; quod qui

agunt, acriter iurisdictionem suam exercere videntur contra id quod coram honestissimis viris fieri consuevit. Ad haec, adstantium offensio ac perturbatio oritur, maxime inter epularum iucunditatem. Ne igitur quacumque de causa coram convivis irascaris; si vero causa detur, iram animo compesce, neve ullo modo prodas. Quod et praecipue cavendum coram convivis peregrinis; quos tu ad gaudium invitatos moerore affidis, quum alterius nos cruciatu afficiamur, quemadmodum si quempiam res agrestes manducantem videas, tibi etiam dentes hebetantur.

(Ad proximum numerum).

I. S. P.

ANNALES

Europaeum bellum.

Superiore, qui nuper effluxit, mense Augusto, omnium populorum mentes animumque, novum paternae Benedicti Papae XV charitatis documentum commovit, quo ille, praeter terrenas curas partiumque studium constitutus, supremae iustitiae iura repetens, neque posthabitis rationibus, quas hinc inde bellicarum civiliumque rerum administrari de immani, quo iamdiu affligimur, conflictu voce aut scriptis aliquando protulerunt, rerum publicarum ipsos moderatores provocavit, ut canones nonnullos bona voluntate perpendent, qui aeque durabilisque pacis caput quodammodo futuri forent. Qui quidem canones, alibi, in his paginis, singillatim referuntur; hic adnotare satis sit, licet ob animorum contentionem variaque ingenia par (neque id mirum) circa eos idemque ubique non fuerit consilium, eos tamen, non uti pacis conditiones quidem propositos, sed veluti, inquam, primum lapidem et fundamentum, super quo futurae pacis aedificium exstruatur, omnium cogitationes in se fixisse; quippe qui rectus maxime, qui huc usque intercesserit, trames generosissimusque nitus iure meritoque

visi fuerint ad civitatum desideria explenda; tantae scilicet ruinae finem, publici ordinis instaurationem, redditumque ad conditions illas, quibus indiget hominum societas, ut bene vivat. Sua enim urgenti adhortatione atque invitatione Pontifex imperium revocans contra effrenam vis potestatem, gentium securitatem persequitur contra horrenda belli exitia; nationum violentam servitutem ferentium et commerciorum omnium libertatem vindicat; exposcens denique ut, quo citius fieri possit, protervus militiae dominatus communi consensu coercedatur atque arbitrorum inter nationes omnes collegium sufficiatur, quod de novarum conflictionum causis supremum exerceat iudicium, cui omnino concedendum sit, homines vult magna eaque vera in posterum tranquillitate fruantur, ad bonas artes utilesque labores suos revertentes, a quibus deinceps nullo tempore amoveantur.

Faxit Deus ut sanctissimo Christiadum Patris incoepit faustus exitus procedat!

**

Interim vero Europa fere omnis effuso sanguine semper madet; ac praesertim, his diebus, praeter Austriae quondam fines, quo amplissimam Itali offensionem intulere. Qui ad orientem Goritiae urbis profecti, iniectisque simul Sontio flumini pontibus quindecim, atque perfectissimis proeliis per quinquaginta circiter millia passuum productis occultantes quo maxime tenderent, hoc est ad Bainsizzae regionem in dorso montium porrectam, hostilem frontem Jelenik-Vrh oppugnabant, quumque tres ad defensionem munimentorum ordines, Semmer scilicet, Kobilek et Mandoni circumissent, eos adversi quoque aggrediebantur, frangebant, montemque Sanctum, imperatorium quidem propugnaculum, suum tandem faciebant. Dum scribimus, acies ad orientem Bainsizzae regionis audacter in Chiapovani vallem procedunt, hostes insectantes, quorum viginti quinque circiter millia captivos reddiderunt.

¹ Cfr. fasc. sup.

Huiusmodi ad frenandum impetum Austriaci a Russorum finibus copias multas retrahere coacti sunt; eorumque igitur in Galitia et Moldavia progressus constituerunt. Germani vero Rigae frontem excidere nituntur, dum Anglo Gallis in occidentis regionibus animose obsistunt.

* *

Ex Abyssinorum regno nunciant, Ligg Iasu illum principem, quondam imperii heredem, ex arce ubi captivus detinebatur evasisse, unaque cum Emmar, principe sibi fideli, arma suscepisse. Brevi tamen successum aliquem sperare ei licuit; Emmar enim in Wollo-Gallorum regione interfectus est, atque ipse in servitatem iterum redactus.

Kalendis Septembribus MCMXVII.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Dum temporis conditio ea est, ut omnes inopia rerum, et ipsorum carbonum, cum summa caritate, urgeamur, iuvat et in hisce paginis de capsula mentionem facere, quam *concoquenter* alii, alii *automaticam ollam* nuncuparunt; ego autem, e graeca fonte deducto vocabulo, **peptocistum** sive **peptocistam** uno verbo latine dixerim. Quod miraculum recens inventum vulgo praedicant, in physices tractatu a gallico viro Privat Deschanel anno MDCCCLXXXII edito iam descriptum invenimus, veluti in septentrionali Europa late usitatum. Res est de communi capsula lignea, aut ex charta valde solidata, interius, et in ipso fundo, spissis coactilibus stipata, vel lana aut alia materia farta, quae calorem cohibeat, quales sunt paleae pressae, gossipium, suberrina frustula, lignae scobes, et similia. In huiusmodi arculam olla immittitur cibum concoendum continens; concoendum dixi, namque necesse est ut olla aliquantis per in igne versata fuerit; arculae autem magnitudo ea esse debet, ut olla farturae undique intimeque adhaereat. Testo denique aptus pulvillus,

et ipse cohidente materie constans, superimponitur; peptocistumque superius clauditur, suoque officio relinquitur. Quod quidem est, ut calor dispersum impediendo, cibus ad consentaneam cocturam post aliquot tempus deveniat. Facile inde necessaria duo consequuntur: 1) ut ollae adhaesio parietibus cohidentibus intima reapse fiat ad sufficientem caloris gradum interius servandum; 2) ut debita ratio molis aquae in olla contentae habeatur. Quum enim ex proportionis legibus et calor ab aqua susceptus quo tempore igni tradita ea est, et ipsius aquae moles inter se comparentur, maximus profecto effectus habebitur per maximam aquae molem; olla proinde plena omnino esse debet.

Inducto igitur in ollam, aqua repletam, cibo percoquendo, ad ignem olla ponitur usque ad ebullitionem, quae certum tempus perdurabit; deinde peptocistio committetur, ibique certo etiam tempore servabitur; quo elapo, coctura perfecta erit.

* *

Quae vero certa tempora erunt tum ebullitionis, tum permansionis ciborum in peptocistio? Quae sequitur tabula utrumque indicabit:

CIBI	Ebullitionis momenta	Horae permansionis in peptocistio
Caro elixa	30	4
Salsamentum elixum .	20	1 1/2
Solana tuberosa . . .	10	1
Phaseoli exsiccati . .	15	2 1/2
Pisa exsiccata	15	2 1/2
Fabae exsiccatae . . .	30	6
Castaneae albae . . .	20	2 1/2
Sisera	30	7
Pulmentum commune .	10-15	0,15-20
Pulmentum ex leguminibus	15	2

* *

Ut rem denique ex omni parte absolvam, rationem vobis, lectoribus meis fidelissimis, suppeditabo, qua **per peptocistum** pastillos eos ex subacta farina esculentos, qui **machaeronii** vulgo audiunt, comparare possitis.

Quum aqua quam salitam feceritis, ferbuerit, machaeronios (gramm. 200 cuique homini satis erunt) in eam admittite Vulcanoque ebullienti per decem horae momenta servate; deinde in peptocistum claudite per totidem tempus, aut paulo maius. Tum percolatis pastillis, eos embammate ex conditivo pomo et butyro vel carnis succo, neque non contriso caseo sapidos faciat, scitoque delicatoque palato vestro committite.

An arbiter boni saporis ego sim, qui experimentum fecerit, aperte, quaeso, detegat!

* *

Locosa.

Tuccius et aequalis quidam eius inter se obtrectarunt, ob eamque rem severe obiurgantur:

— Adolescentes bene moratos convicia prorsus dedecent!

— TUCCUS: — Atqui nulla ego oneravi illum iniuria; quinimo meis verbis maximi feci.

— Aedepol! Anseris cognomine affecisti...

— Ignoras igitur, qua vivimus summa caritate, anseres nisi magno pretio emi?

Tuccio arithmeticqua solvenda proponitur. Res est de pecunia, quam viator quidam apud cauponam impenderit ob consumpta fercula, quorum pretium singillatim indicatur. Tuccius vero quasi pedica cohibitus videtur.

Cui Magister:

— Ne tam facilem quidem nodum hunc enucleare tu valeas?

— Quomodo fecerim, si elementum necessario addendum frustra apud hanc summam quaeasierim?

— Ecquod igitur?

— Strenam puero a viatore datam.

* *

Aenigmata

I

Mater alit vivum, vivam mox devoro matrem;
Matre tamen morior commoriente simul.

II

Dum totum recreat, vertex rogat, ultima rodunt.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposta his respondent: 1] *Regula*; 2] *Baculus*).

IOSFOR.

AD PRAETORIUM 8)

FUL. Quid ais?

BER.

Quod nuper respexi flebilis.
Nullis est questus ipse pro languoribus,
Sed usque nostro passus est pro populo.
Adest et ipsa mater lacrimabilis,
Adest dolens, moerens, sicco sed lumine.
Eam videns Iesus, loquens et dulciter
Suo Ioanni commendat discipulo,
Quem post commendat genitricis in filium.
Erat vox eius mitis praeter ordinem,
Et omnes flexit socios in lacrimas.
Tacens sedebat ipsa admirans Filium...

Sui immemor videtur, attentis oculis,
Cadunt dum tenebrae e caelo altissimae!...
MUL. VIII. Ei circumstabant virtute praeditae
Frequentes foeminae, quibus relligio
Labor tuendae parentis miserrimae.
Suo recondit haec candido pectore
Et acta et verba fantur quae dulcissima!
Pharisaei et scribæ, vestes dum quatunt
Superbe, transeunt moventes et caput
Velint eius quasi provocare invidiam,
Ut ipse tandem se de clavis liberet,
Ita omnes esse crederent ipsum Deum,

Eumque patribus promissum vatibus.
 Silet magister, versus at clementia
 Ad illum placidus malorum socium:
 « Hodie in paradisum mecum perveneris! »
 Et ille laetus, mediis in languoribus,
 Labores sustinet crucis patientia,
 Eique gratias agit quam maximas.
 At alter interit yomens blasphemias.
 Quis inter illos terror, pavor funditur?
 Pavent et ipsi tremiscentes milites.
 Colore pallidi Pharisaei student
 Pavorem verbis e turba compescere.

HER. Malum quod fecerint in urbe sentiunt
 Et noluissent pessimi! Sed ipsos trahit
 Nolentes fatum cunctos ad excidium...

MUL. I. Nefanda sors!

MUL. II. Ierusalem, venit dies
 Supremus!

MUL. I. Urbs ruit!

MUL. II. Nunc desolabitur!

MUL. III. Fuit vir integer!

MUL. IV. Salutem praebuit!

MUL. V. Erat propheta!

MUL. III. Verus et simul Deus.

MUL. IV. Quis antea vidit quod ipse fecerit?
 Dedit discipulis sanctiora placita?

MUL. V. Et hac de causa damnaverunt perfidi!

BER.¹ Actum est!

MUL. VII. Obiit!

MUL. III. Interiit caput sanctissimum?

MUL. VIII. Sed ipse dixit: Resurgam de mor-
 [tuis!]

MUL. II. Resurget ipse?

MUL. VIII. Dixit!

MUL. VI. Quisnam crederet?

MUL. VII. At, at,... perversi descendant pal-
 [iidi,

Suisque pectus verberantes manibus.
 Adest et in primis ferox centurio;
 Erat contra plebem qui mox interritus!
 Habet figuram quam pavore frigidam!
 Madet sudore, putri aspersus pulvere,
 Humi fert oculos, tristibus vestigiis...
 Iterumque, iterumque torquet retro lumina,
 Velut caelesti sit percusus fulgure...

MUL. V. Sciunt enim cuncti quem condemn-
 [naverint!

¹ Accedit ad fenestram. Eam ceterae mulieres se-
 quuntur.

Et inter tenebras dilabuntur rapidi
 Ii superbi nuper qui clamaverant,
 In innocentem reprobam sententiam!
MUL. IV. Caput superbum, vocem nunc extol-
 [lite!

Ferenda nunc illa vox alta sanguinis:
 Eius cruor cadat super nos et filios!¹

BER. (solemner) Canit moestitiam ferox ad
 [precatio.

Gerit quid triste nescio praesagium!
 Et illa natio fuit quae gentium
 Decus, mox decidet ruina celebris.
 Et omnis rapta mox a patris urbibus
 Erit serva cunctis populis spectaculum!
 Ab Ipso, flemus quem, magistro maximo,
 Modo si certa ductae poenitentia,
 Eiusque Nomen invocare discimus,
 Nos obtinemus certe veniam criminis!

MUL. I. Scimus quod matres in primis nos
 [addebet

Id implorare nobis simul et filiis!

MUL. VIII. Eamus, Matrem vidimus quam
 [saepius

Suis ut perpetuis adiuvet nos precibus.
 Volens et ipsa nobis sit propitia,
 Sit ipsa cunctis Iudith opportunior,
 Sit Esther potius genti salus sua.

FUL. Eique causam commendate Fulviae!
 Enim quid ipsi restat post tot crimina?
 Meum non Pontium, nec uxorem dicite,
 Modo sed unam mementote Fulviam.
 Manet quod miserae fatum in posterum!
 Iesus dabit certam veniam pro crimine,
 Venit si perditos viros ut quaerit...
 Mihi precaminor! Fui discipula
 Iesu secreto, palam sed in posterum!
 Meum sic potis sim salvare Pontium,
 Reus fuit primus sancti qui Sanguinis.²

OMNES: Deo sit gloria et decus pro Filio,
 Suo redemit nuper qui nos sanguine,
 Honor, decus sonet semper per saecula!

FINIS

¹ Auditur vox imitans sonitum turbarum mul-
 tarum.

² Exit anxia.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.